



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XLV. Curiositas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Quidquid nunc parvipendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus; quanto illic cruciata vindex flamma consumiet! S. Bern. serm. de eo, quod legitur Job. 5. 19.

Anno 1584. Bolsani missi in montes metallici fossore cum suis quisque lampadibus, ut solent. Eorum incautior unus lampadis mucum projecit in sulphuris venam; & ita incendit montem; ut socios omnes repentinum hoc incendium suffocaverit; mons ipse biennium

fermè arserit. Parva saepe scintilla. Drexelius aurifod. c. 2.

Ferunt urbem nobilem obsessam ab hostibus non prius captam, quam emissus dolò ab hostibus lepusculus, cum ad urbis portas accurreret, à portæ custodibus apertò tantisper portæ minoris aditu, admissus est. Quà occasione usi hostes, alii ex aliis in portam illam irruerunt, urbe deinde totà potiti. Nadasi in sexto mensis amor, div.

TITULUS XLV. CURIOSITAS.

Motiva eam vitandi.

Totus propter aspectum captivus factus est. Gen. 34. 2. S. Chryl. hom. 59. de Emor filio Sychem. Oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, membrorum dux sit; non introitus vitiorum. S. Chrysol. f. 139.

Gravis, ac vehemens est proditor, oculus vagus, aequè distractus. S. Ephrem. Pagan. 37.

Mens oculis tanquam fenestris utitur. Laetantius lib. de opificio Dei.

Non humiliter; neque constanter, ut debuit, ingressus est; & fortasse ideo corruit; quoniam, non ut pugnaret, sed ut finem videret, accessit. S. Laur. Just. de triumph. c. 8. de Petro.

Si porta oculorum bene munita fuerit, tota illa interior civitas cordis nostri ab assultu vitiorum quieta erit. Hugo à S. Victore in Plal. 13.

Vide plura tit. Oculus.

D.

TITULUS I. DEBITA.

§. I.

DEO reddenda.

Dimitte nobis debita. Matth. 6. 12. Quid debemus DEO, nisi imaginem, & similitudinem ejus servare illæsam? S. Chryl. hom. 9. c. 6. in Matth.

Cum non haberet, unde redderet. Matth. 8. 25. Si non habebat, unde redderet, cur respondet tanta cum fiducia: *Omnia reddam tibi?* utrumque verissimum est: non habet peccator, unde reddat; & potest cum fiducia maxima dicere, *omnia reddam tibi.* Non habet, unde reddat à se; habet, unde reddat à DEO. Non potest peccati debitum solvere pecuniâ propriâ, potest solvere pecuniâ, & mentis D. N. J. C. In seipsum si oculos conjiciat, nihil reperiet, quod pro peccato remittendo sit satis: si Christum Crucifixum intueatur, fidenter elamabit: Domine, omnia reddam tibi. Non reddam ex opibus meis; sed ex opulentissimis thesauris vulnerum Domini mei. Barradius t. 2. l. 10. c. 37. hic. D. 21. Pent.

Redde, quod debes. Matth. 18. 28. Nulla est omnino creatura, quæ, quod debet, non faciat; exceptò homine solò, & diabolò. Pro-

bat id deinde I. ab Angelis, & reliquis creaturis. S. Bonavent. f. 123. D. 22. Pent.

Duo debitores erant cuidam sceneratori. Luc. 7. 41. Non materialem sceneratori huic debemus pecuniam, sed meritum examina, æra virtutum; quarum meritum gravitatis pondere justitiæ specie, sonò confessionis, expeditur. Væ mihi! si non habuero, quod accepi. Aut quia difficile quisquam est, qui sceneratori huic integrum debitum possit exolvere. Nihil est, quod dignè DEO referre possimus. Quid enim referamus pro suscepta carnis injuria? Quid pro verberibus? quid pro Cruce? ubitu? sepultura? Væ mihi! si non dilexero. Reddamus ergò amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio. Plus enim diligit, cui donatur amplius. S. Ambr. lib. 6. hic.

Plura solvendi habet subsidia, qui DEO; quam is, qui homini debet. Homo pecuniam pro pecuniâ reposcit, quæ non semper debitori præstò est, DEUS affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est, qui DEO debet; nisi qui seipsum pauperem fecerit. Etsi non habet, quæ vendat; habet, quæ solvat. Oratione,